Krasnicki Matthaei: Quaestio theologica de libero voluntatis arbitrio.

QVÆSTIO THEOLOGICA

DE

Libero voluntatis arbitrio,

Ex 1. p. D. Thomæ, q. 83.

Præsidente Admodùm Rñdo Patre,

D. M. SIGISMVNDO GREGEROWIC,

S. Th. Doct. & Professore, Protonotario Apostolicò, Eccl. S. Floriani, & S. Nicolai Præposito, Scholastico Moscorouiensi, Cancellario Siradieñ. S. Facultatis Theologicæ Decano.

A

M. MATTHÆO KRASNICKI, S. Th. Professore, Ecclesiæ S. Floriani Canonico, in Almâ Academiâ Crac. publicè ad disputandum

PROPOSITA.

Permissu S. Facultatis Theologicæ Decani.

Anno Domini, 1651. *Mense Septemb. Die* 5. *Horâ* 13.

CRAC. In Officina Francisci Cæsarij, S. R. M. Typ.






D. Hieron. Tom: 3. de Prodigo, ad Damaſum, inquit:

DIuiſit eis Subſtantiam. Significantiùs in Græco legitur: Καὶ δεῖλεν αὐτοῖς τὸν βίον. id eſt: Dedit eis liberum arbitrium, dedit mentis propriæ libertatem, & vt viueret vnuſquiſque non ex imperio Dei, ſed obſequio ſuo; id eſt, non ex neceſſitate, ſed ex voluntate, vt virtus haberet locum, vt à cæteris animantibus diſtaremus, dum ad exẽplum Dei, permiſſum eſt nobis facere, quod velimus. Vnde, & in peccatores æquum iudicium, & in Sanctos aut iuſtos, iuſtum præmium retribuetur.

QVÆSTIO THEOLOGICA,

De libero voluntatis arbitrio.

V. Jn homine viatore liberum arbitrium ſit potentia appetitiua, eadem realiter cū voluntate, ita vt voluntas exiſtat formaliter libera reſpectu præſentium, non ſolùm libertate à coactione, ſed etiā à neceſſitate, tam quoad ſpecificationem, quàm quoad exercitium actus, necne?



CONCLVSIO I.

Est doctrina Fidei Catholicæ, in homine viatore esse liberum arbitrium.

COROLLARIA.

I. In statu innocentiæ habuit homo liberum arbitrium.

II. Etiam in statu culpæ homo non destituitur libero arbitrio.

III. Non minùs in statu gratiæ homini liberum arbitrium competit.

IV. In Christo homine, sicut in cæteris hominibus, liberum arbitrium fuit.

V. Erroneum est, quod à Luthero proteruè asseritur; Liberum arbitrium seruum esse.

CON-

CONCLVSIO II.

Liberum arbitrium hominis eſt potentia appetitiua, eadem realiter cum voluntate.

COROLLARIA.

I. Liberum arbitrium ſignificat id, quod eſt principium actus.

II. Liberum arbitrium non eſt actus alicuius potentiæ, neq; eſt habitus.

III. Liberum arbitrium non eſt potentia cognitiua, ſ. intellectiua.

IV. Arbitrium liberum eſt quippiam naturale, immobiliter manens.

V. Liberum arbitrium eſt potentia ſimpliciter actiua reſpectu ſui actus.

CONCLVSIO III.

Voluntas eſt formaliter libera reſpectu præſentium.

I. Jntellectus non eſt capax libertatis formalis.

II. Non poſſunt in homine eſſe duæ formaliter libertates.

III. Aliæ potentiæ licet in homine aliquid liberè operentur, non ſunt tamen formaliter liberæ.

IV. Libertas arbitrij radicaliter eſt in intellectu, tanquam in propriâ cauſâ.

V. Voluntatis libertas conſiſtit in electione, cum neceſſariâ dependentiâ à iudicio practico rationis.

CONCLVSIO IV.

Libertas voluntatis nedum à coactione, ſed etiam à neceſſitate, tam quoad ſpecificationem, quàm quoad exercitium actus, homini competit.

COROLLARIA.

I. Abſolutè loquendo omnis electio eſt libera.

II. Non appetit liberè obiectum, vbi quis ad appetendum cogitur.

III. Per nullam potentiam, ſiue creatam, ſiue increatam, etiam abſolutam, poteſt inferri violentia voluntati in actu à ſe elicito.

IV. Nulla vera electio eſt neceſſaria ſimpliciter, quantùm ad ſpecificationem.

V. Stante volitione abſolutâ & efficaci finis; neceſſariò ex ſuppoſitione ſequitur volitio medij vnici, cogniti in ratione vnici.

Supremo libertatis Largitori
ſit Honor & Gloria in
ſecula.





Sub felicibus auſpicijs

Perilluſtris, Adm. R̃ndi, & Magnifici Dñi,

D. IACOBI GORSKI,

I. V. Doctoris & Profeſſoris,

Protonotarij Apoſtolici,

Ecclеſ: Cathedralis Cracouienſis Canonici, & Collegiatæ omnium Sanctorum Cuſtodis, &c. &c.

Atq; Studij Vniuerſitatis Cracouienſis

RECTORIS.

VIGILANTISSIMI